



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmmvla Caietani**

**Cajetan, Thomas**

**Antverpiae, 1575**

Peccata mulieris peculiaria multa sunt & diuersa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

## Mona. & Monia.pecc. 425

lectationē abducatur , vt viam virtutis deserat) manu-  
festē peccatum est, quum sit cōtra rectam rationem.

Potest autem esse mortale & veniale iuxta mate-  
riam. Nā si quis ita est inollis animo , vt cedat omis-  
tendo necessaria ad salutem, aut incurrendo contra-  
ria saluti peccat mortaliter. Si autem nihil committit  
aut omittit contra salutem , sed præter illam, peccat  
venialiter.

Pro quanto vero mollities est vitium infirmum  
contra naturam ( scilicet solius pollutionis volunta-  
tiae) peccatum est mortale: vt patet . Et similiter pro  
quanto est crimen contra naturam quo mas patitur  
vt mulier (vt glossa interlinearis exponit.i.ad Corint.  
vi. vbi molles excluduntur à regno Dei ) peccatum  
est nefandum.

### *Monachi & moniales possunt multiplici- ter offendere & peccare.*

**M**onachorum & monialium peccata propria, ipsi  
ex suis, regula, statutis ac consuetudinibus scien-  
tes discutant . Circa dotem tamen earum quæ reci-  
piuntur in moniales, vide in verbo, excommunicatio,  
cap.lxxiii. Circa clausulam illis indictam à iure, si nū-  
quam fuit accepta , & Episcopi sic semper guberna-  
runt dando eis licentiam exeundi excusantur : quo-  
niam iura non recepta tanto tempore , infirma sunt.  
Nec sufficit esse scripta & inserta in corpore iuris, &  
esse rationabilia.

### *Peccata mulieris peculiaria multæ sunt & diuersæ.*

**M**ulieris peculiaria peccata quatenus ad sexum  
spectant, non egent speciali tractum: quia pro-  
portionaliter sunt communia eis & maribus non so-  
lum naturalis carnis peccata , sed etiam quæ contra  
natu-

426 Mulierum peccata.

naturam sunt usque ad mollitem inclusuè . Peccata autem conceruentia ornatum, in verbo ornatus, trahuntur.

Quæ autem ex positivo & diuino iure sunt eis peccata, quia prohibita , multa dicuntur : puta quod non tondentur, quod non vstantur veste virili, quod non prædicens aut doceant publicè , quod non tangant facia vasa & pallas , & non deferant incensum circa altare, quod non benedicant , quod nullum ordinis actum exerceant.

Sed aduerte, quod horum quædam sunt omnino mulieri illicita: ut actus ordinum , quia mulier est ex natura irregularis , & similiter publicè prædicare aut docere ea quæ sunt fidei : quoniam hæc ab Apostolis interdicta rationabiliter sunt . Cum quo tamen stat quod possunt suas subditas prælatæ in suis capitulis instruere, exhortari, &c. ut consueuerunt: quoniam hoc non est docere Ecclesiam, sed ad quasdam particulares personas restringitur huiusmodi doctrina: quæ magis materna instructio & exhortatio vocanda est, sicut mater naturalis instruere potest & debet filias suas. Quædam autem horum intelligenda sunt non ut sonant: nam tondere, nullum est peccatum, nisi pro superstitione aut aliqua alia mala ratione fieret: nec aliter intelligitur à iure prohibitum: ut patet diligenter intuēti dist. xxx. & cap. xxviii. de cōuer. coniug. ibi enim & de superstitionibus hæreticorum agitur: & expreßè dicitur quasi resoluens ius subiectionis: ubi notat actum fieri pro superba religionis libertate . Hic autem tonsurare importat mulierem quasi virum tondere irreligiosum : ut pluries legitur olim factum: hoc est enim quod lex prohibet: prout etiam in statutis religiosorum prohibitum sub eiusdem verbis inuenitur.

Veste autem virili uti mulierem, cōtra bonos mores

ICB

## Murmuratio.

427

res est, & scandalosum: & ideo intolerabile est, nisi solatii causa quandoque fiat, vel necessitas exposcat. Sacra autem scriptura & ius canonicum hoc prohibent ut non superstitione fiat.

De sacris autem aliis astibus crediderim ego posse consuetudinem antiquam tolerari: nam alicubi moniales in vesperis cum cappa serica altare thurificane intra clausam Ecclesiam suam in qua solae moniales sunt: Et hoc si ab hoc vsu abduci non possunt quia a tempore Sotheris papae mandatum sit Episcopis Italiæ, ut hæc pestæ curen̄t, dist. xxiii, cap. sacratas. & adhuc duret, male quidem: sed non perniciosa, si contem̄ptus desit. Prælatæ tamen quæ benedicunt in professione vestes profitentium, in nullo errant. Et quæ lauant corporales, pallas postquam certæ sunt quod nulla est particula sacramenti in eis, & sunt aliquantum abluta, metentur vitam æternam: nam causa videtur rationabilis: quia ratione maioris mundiciæ hoc fit.

### *Detractio[n]is vitium in quo differat a murmuratione.*

**M**urmuratio ut ad vitiosos actus transfertur, peccatum est coincidens cum detractione, quamvis minus significetur murmurationis nomine: quia magis soni quam vocis peccatum significat. Vnde sonum querelæ impatiens murmur vocare solemus: quasi multum pressus aut pulsus homo sonet. Et tamen secundum rem detrahitur illi contra quem murmuratur, tanquam iniuste aut irrationaliter &c. se habuerit vel habeat.

### *Membri mutilatio potest esse licita & illicita respectu diuersorum casuum.*

**M**utilatio siue sui, siue alterius ( nisi ex necessitate sanitatis abscissionem membra exposcentis fiat)

Dd

peccatum